

exprimenda. Equidem, o Alcibiades, si te cognouissem iis rebus, quas supra narravimus, esse contentum, vitamque in illis tuam transigere, dudum benevolentiam erga te meam (sic enim mihi persuasero) deposuissem. Nunc autem alias quasdam tuas de te ipso cogitationes indicabo tibi: ut intelligas, ex quo semel tibi mentem adhibui, quam nunquam destiterim. Etenim, si quis deus dixerit, O Alcibiades, numquid viuere vis ea sola possidens, quae nunc habes? an statim obire, nisi praestantiora quaedam assequi liceat? mortem potius electurus esse mihi videris. At vero qua nunc spe vitam agas, aperiam. Putas enim, si mox in Atheniensis populi concionem ascenderis, quod quidem paucos post dies futurum existimas, Atheniensibus demonstraturum, te maiori dignum esse honore, quam aut Pericles sit, aut alius quisquam fuerit eorum, qui superioribus seculis floruerunt: quod si ostenderis, maximam te apud ciues tuos auctoritatem assecuturum. Atqui si plurimum hac in vrbe possis, omnium quoque Graecorum, atque etiam Barbarorum, quicumque eandem quam et Graeci incolunt regionem, clarissimus sis: et si deus idem imperium Europae concesserit; transire tamen in Asiam, et isthic imperium affectare, vetuerit: nondum electurus mihi videris cum his solis vitam degere, nisi nomen tuum atque potentiam, ut ita dicam,

interruptum. — ενδειξασθαι] Steph. conicit: ενδειξασθαι, quod melius conuenire contextui censet GOTTL. — και εν τοις αλλοις [Ελλησι] Ελλησι non est in editt. Sed iam Stephanus notauit in margine, legi αλλοις Ελλησι et in C. V. quoque ita legitur. Ac supr. c. 1. dixit: εν τη - - - δε πολε - - - εν παση Ελλαδι - - - βαρβαρων et c. 10. Αθηναίους - - - και

4 προσεχων -- διατετελεκα] continuo ac sedulo animum ad te aduertit. cf. celeberr. Zeune ad Vig. p. 571. 6.

5 εν τη αυτη - - - ηπειρω] Macedones, Thraces etc. vid. supra c. 1. et cel. Zeune ad Memor. Socr. III. 5. 10.